

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Sebastiani Castellionis Sacrorum Dialogorum Libri
Quatuor, Quos Postremo Ipse Recognovit: Argumenta
Singulis Dialogis Praeposuit, Et Sententias Sublicit ...**

Châteillon, Sébastien

Francofurti, 1761

VD18 12886300

Barrabas.

urn:nbn:de:gbv:45:1-18303

276 DIALOG. SACRORVM

BARRABAS. Matth. 27. Marc. 15.
Luc. 23. Joan. 19.

ARGUMENTVM.

Pilatus Judæorum importunitate fatigatus, Jesum damnat ad crucem, Barrabamque latronem liberat.

Pilatus, Pontifices, Judæi, Jesus.

Nunc, Judæi, adduco vobis eum, ut intelligatis, me nullum in eo crimen invenire. Ecce homo! *Pon.* Crucifige! crucifige! *Pi.* Comprehendite eum vos, & crucifigite; nam ego nullum in eo crimen invenio. *Ju.* ^{a)} Nos legem habemus, quæ jubet eum morte plecti: quia filium Dei se fecit. *Pil.* Metuo quorsum evadant hæc. Undenam es? mihi non eloqueris? An nescis, me potestate habere tui vel crucifigendi, vel relaxandi? *J.* Non haberes ullam in me potestatem, nisi id tibi datum esset superne. Itaque, qui me tibi tradidit, in majore culpa est. *P.* Hic quidem dimittendus est, video. *Ju.* Si eum dimittis, ^{b)} non es amicus Cæsaris. Quisquis enim Regem se facit, adversatur Cæsari. *P.* Age, iam educam eum ad vos. Ecce Rex vester! *Ju.* Tolle in crucem, tolle in crucem. *P.* Regem ego vestrum in crucem; *Ju.* Nullum habemus Re-

gem,

^{a)} Hanc legem nusquam in vetere fœdere invenio, & videntur Judæi Pilato (id quod erat facile) mentiti suisse, præ interficiendi Christi cupiditate.

^{b)} Atqui oderant ipsi capitaliter Cæsarem: sed magis Christum.



gem, præter Cæsarem. *P.* Nihil ago, video: cedendum est multitudinis libidini. Cedo huc mihi aquam. Hac manuum lotione testatum velo, Iudæi, me in sanguine hujus innocentissimi rei, ab omni noxa abesse: vestra culpa esto. *Jud.*
c) Ejus sanguinem nos, nostrique posteri luunto. *P.* Ergo Barrabam hunc latronem liberum habete: Jesum autem vestro arbitrio in crucem tollendum abducite.

SENTENTIA.

Potestas a Deo est. Cæsari malint servire inimici Christi, quam Christo: Et latronem liberari, quam insontem. Utinam non eadem fierent hodie!

S I M O N. Joan. 21.

ARGUMENTVM.

Jesus in vitam suscitatus, piscantibus suis discipulis apparebat. Deinde cum eos prandere jussisset, Petro violentam mortem prædictit.

Iesus, Discipuli, Joannes, Petrus.

Heus juvenes, numquid edulii habetis? *D.* Nihil. *Je.* Jacite rete ^{a)} ad dextram navis partem, & invenietis. *D.* Faciemus. O mi-

S 3 racu-

c) Nocent posteris peccata parentum. Nam vere etiamnum hodie luunt Iudæi vocis illius temeritatem.

a) Dextre, hoc est, feliciter piscantur, qui Christi iussu piscantur.

